

III.

NEOVIDENSIS

Nro 28. (*Neovidensis* Nro 51.)

---

Magni Jovis, & Deorum nuncius

M e r c u r i u s ,

*Hanc sermocinationem ex Grammatica de  
Orthographia apud inferos habitam, ad  
Germaniam deportavit.*

---

Elysium -- Meum. -- Die Vener. 6 Julii 1804. (Neov. 22 Junii.)

---

Sententia:

Suntne peregrina vocabula in lingua Germanica etiam peregrinis litteris exaranda?

Interrogatio.

**A**d hanc quæstionem respondeat Dominus Fernov. Multis, inquit ille, est ingratum, videre peregrinas voces ita scribi, quemadmodum Germanice enunciantur. Exigunt illi, ut in scribendis aliarum linguarum nominibus, non tantum nationalis eorum physiognomia, sed etiam origo, & genealogia appareat; ut quodlibet extraneum, sed in pronuntiatione usitatum verbum instar equitis ad faciendos ludos equestres habilis ante cancellos, sua insignia, & suum stemma in scri-

bendo producat. Verum quorsum evadet lex primaria Orthographiæ: ut ita scribamus, sicut enunciamus? A cujus custodia nos hætenus tantum tyrannica scribendi consuetudo, & præjudicia retraxerunt. Scriptura, ut sit orthographica, eo tendat, oportet, ut, quantum fieri potest, cum bona pronuciatione apprime consentiat. Cum autem Orthographia, sicut ipsum idioma illico immutari nequeat, & ab omni abusu perpurgari, aliud remedium non suppetit, quam ut sensim ineptus scribendi modus, & quidem in rebus minutis emendetur. In hunc finem puto opportunum futurum, ut, dum peregrina vocabula per germanicam terminationem in idioma germanicum transformantur, confestim in scribendo teutonica physiognomia induantur, ut sic palam fiat, hos peregrinos non esse inutiles transfugas, sed necessarios alienigenas, qui huic militiæ nomen dederunt, & ideo germanico vestitu cõhonestari merentur.

Et quidem ita agere nostra plurimum interest, si peregrinis vocibus carere non possumus, vel nolumus; nam secus cogemur cum iisdem alienum Alphabetum, vel diversam a nostra earundem litterarum pronuciationem in linguam nostram adoptare. Hoc facto aliena vocabula instar coloniæ apud nos domicilium figent; ita e. g. græcum *phi* vel latinum *ph*, loco quorum *f*, latinum *c* & *t* loco quorum nos litteram *ç*, gallicum *ch*, & Anglicum *sh*, pro quibus tres litteras *sch*, si-



militer Gallicas diphtongos ai, au, eu, ou, &c. pro quibus nos adhibemus simplices **o**, **u**, **ö**, **ü**, & alii plures litterarum soni nostrum Alphabetum ingredientur. Si etenim verba, in quibus peregrina occurrit pronuntiatio, in sermone nostro ita invaluerunt, ut adhibito licet omni conatu eorum, qui germanicum idioma perpolire satagunt, non possint extirpari, necesse est, ut, qui germanice accurate legere discere vult, vel diversum sonum peregrinarum litterarum, & diphtongorum noscat, sed nec hoc sufficiet, ut in omnibus obvenientibus casibus sciatur easdem enunciare; vel ut si non omnes illas veteres, & novas linguas, ex quibus verba in germanicam translata sunt, minimum tamen omnia peregrina vocabula separatim legere, & scribere condiscat. Quorum utrumque non leve facessit negotium.

Ego itaque existimo, nos & facilius, & melius finem nostrum consecuturos, si in omnibus, in quibus fieri potest casibus, peregrinas voces, quæ in pronuntiatione jam germanicam terminationem obtinuerunt, accurate ita scripserimus, uti eas proferimus secundum litteras nostri Alphabeti, parum solliciti, an offendatur oculus hac insveta vocabuli Physiognomia. Oculus assvescit omnibus, ideo non potest esse legitimus iudex Orthographiæ, hæc enim non ex origine vocis, sed pronuntiatione æstimanda est. Quæ est ratio, quod non perstringatur amplius acies oculi, dum legit: *Schatuppe*, *Maschine*,

*Manschetten, Maskerade, Schokolade &c.* quæ secundum morem antiquum scribenda forent; *Chaluppe, Machine, Manchetten, Masquerade, Chokolade &c.*? Quia priori methodo scribendi jam ita assuevit, ut, si eadem vocabula posteriori modo scripta deprehenderet, merito miraretur. Assuescat ergo oculus etiam legere: *Schampanjer, Dezenz, Prinzip, Medizin, Kontraktion, Konflikt, Sozietät &c.*

Alia latina, & peregrina nomina propria, uti *Cæsar, Cicero*, quæ non admittunt Germanicam terminationem, jure retinent suam primitivam formam, exempli causa: *Horatius & Horaz, Ignacius & Ignaz, Terentius & Terenz, &c.* Sed etiam in illis casibus, in quibus aliena verba non possunt ita scribi, sicut enunciantur, quia in aliena lingua exprimuntur una littera, quæ in nostra tres vel quatuor requirerent, uti italica: *cicerone, & cicisbeo* efferenda forent; *tchitscherone, tchitschisbeo*; vel dum alicujus litteræ sonum nec pronunciare nec scribere novimus, uti Gallicæ *j, & g* ante *e, & i*, ac Italicæ *g, & gg* ante *e, & i* denique *n, & gn*, quæ per nares proferuntur, &c. retinenda est propria verborum orthographia ita, ut cum apud nos civitate donari nequeant, tanquam tolerata in scribendo semper distinctis litteris exprimantur. Quemadmodum Religiosi sui ordinis vestitu, & in nonnullis Provinciis Judæi colorato, quem in pileo deferunt, panniculo a ceteris incolis discriminantur. Noster monasticus typus utique resper-

sus est latinis vocabulis, quod, licet circa medium sæculi 18 in usu fuerit, imperitissime tamen factum, ideo ingeniosi homines ita impressos libros leporibus lardo instructis assimilarunt. Contra in latino typo, quo ferme omnes aliæ linguæ utuntur, ex quibus nos vocabula in nostram assumimus, & porro quoque assumpturi sumus, similis notatio omni caret difficultate. Atque inter alia hoc etiam motivum est monachicam scripturam eliminandi, & latinam ubique progressu temporis introducendi. Attamen optimum esset, si non plura adscisceremus peregrina vocabula, quam reapse necessaria sint, & eo magis excoleremus proprios linguæ nostræ fontes; qui millia adhuc verborum nobis suppeditare possunt; sic fieret, ut & paucioribus egeremus ex aliorum idiomate nominibus, & sexcenta jam mutuata possemus in patriam relegare.

Nulla ex omnibus recentioribus linguis suam Ortographiam ita accurate tractavit, nulla ad finem artis recte scribendi: ita scribere, sicut pronuntiatio exigit, tam prope accessit, atque Italica, quæ propterea nobis, & omnibus aliis nationibus facem præclari exempli prætulit. Hoc illa per id obtinuit, quod felici animata instinctu non siverit se abripi stulta opinione: artem recte scribendi accommodandam esse etymologiæ vocabuli. Scriptura repræsentat pronuntiationem vocis; Quilibet, qui exaudiri potest sonus, in scribendo notatur convenienti signo. Quod non

auditur, non est scribendum. Eapropter scriptura non potest plus ex etymologia verbi exprimere, quam ejus sonum, & enunciationem. Qui id, quod non auditur, vult descriptum videre, ait Klopstockius, desiderat a pictore florum, ut etiam odorem florum effingat. Linguis idem evenit, quod hominibus: multi tarde, multi nunquam adeunt Corinthum, sed omnes sunt mancipia consuetudinis.

Alii inveteratam vivendi rationem, quam a juventute imbibierunt, nunquam abjiciunt, alii eam repente deponunt, & capessunt saniora consilia. Galli, & Angli a sua scribendi ratione, qua copiam litterarum, quarum sonus non auditur, exarant, & loco unius tres, & etiam plures litteras exprimunt (uti probat *œuf*, *avoient*, *trough* &c.) amplius non possunt, etiamsi vellent, recedere. Forte olim omnia hæc signa pronunciabantur, verum ad nos non pervenit eorum orthographia, priscus eorum sonus exspiravit.

E contrario Italica lingua mature excussit jugum consuetudinis, quod eo facilius usuvenit, quia ejus scripturæ etymologia nunquam dominabatur. Quotiescunque illa aliquod peregrinum adoptat vocabulum, debet se, uti æquum est, moribus Provinciæ attemperare, systemati pronunciationis subjicere; Hinc ita scribitur, prout enunciatur. Quam longe distat adhuc ab hac perfectione nostrum idioma! Assequeturne eam aliquando? Quando noster litteras formandi modus converte-

tur in artem recte scribendi? Quod vero majorem adhuc meretur attentionem, est, nos huic perfectioni prima linguæ nostræ periodo fuisse propiores, quam modo; Orthographia Poëtarum magis convenit pronunciationi, atque nostra; Sed etiam Lutherus in suis opusculis non adhibuit tot, ac nos, otiosas duplices litteras. Probabilius, quia tunc summa cura erat ita scribere, sicut pronunciatione exigebat, absque studiosa inquisitione in etymologiam. Quanta adhuc farrago inutilium *h* in mediis syllabis, mutorum *e* post *i*, item duplicium consonantium, & vocalium, ubi tantum simplices percipiuntur, præterea litteræ *ß*, dum una *z* sufficit, quanta denique confusio in usu *e* & *ä*, *i* & *y* deformat nostram scripturam! Nobis de Orthographia prorsus tacendum esset, quamdiu tales abusus non tollimus, & propter receptam consuetudinem, ac vanam originis vocum disquisitionem nos ab ejus regularum observantia dimoveri patimur.

Cæterum a ratione foret alienum velle artem recte scribendi uno impetu expugnare; saperet enim inscitiam, præsumere, omnes esse paratos amplecti, quod prudentius est, licet id consuetudini adversetur. Doctiores festinent lente huic operi manum admovere, & indefesso conatu, sed modo inobservabili instar indicis in horologio ad finem tendere ita, ut nec ipse hebes scribendi usus, nec ejus excæcati fautores quidquam animadvertant; Hic aboleant inutile *h*, ibi superfluum



*e*, a'ibi molestum *n*, aut otiosam duplicem consonantem: Isthic litteræ *q̄* restituant gravio- rem, inibi litteræ *e* acutiorem sonum &c. Prout huic rei jam Vossius in suis classicis versionibus, forte œconomia spatii adactus, feliciter initium dedit, usque dum oculus & manus assvescant mechanice effingere simpli- ciores, accuratioresque formas: Est autem spes, fore, ut hæc sibi omnia quam citissi- me familiaria reddant. Ita sensim ad opta- tum finem magis appropinquabimus, eumque tandem attingemus; Ante omnia tamen nec- cessarium est, ut magis castigatam Linguae nostræ Grammaticam habeamus. Qui vult emendate scribere, debet prius emendate lo- qui scire.

---

Submissæ nobis sunt jam binæ Resolu- tiones Problematum Mathematicorum, per Cl. Neovidensem propositarum. Verum quia nec locus sufficiens imprimendis iis suppetit, nec Neovidensi præcurrere volumus; reser- vandas duximus, dum ipse Neovidensis suas vulgarit Resolutiones.

---